

PANEGYRICUS
DIVIS
COSMÆ & DAMIANO

DICTUS

CORAM ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VIENNENSI,

DUM

In Basilica D. STEPHANI Proto-Martyris
INCLYTA FACULTAS MEDICA

GEMINIS PRINCIPIBUS SUIS

Cultum annum solenni ritu perfolveret:

DEFERENTE

Perillustri Speḡtabili & Excellentissimo

DOMINO

JOANNE THADDÆO
De PAUMINGERN,

Philosophiæ & Medicinæ Doctore, Sac. Cæs. Maj. Viduæ
AMALIÆ WILHELMINÆ Aulæ Medico, Illust. DD. Sta-
tuum Inferioris Austriæ Proto-Medico, Inclytæ
Facultatis Medicæ

DECANO.

ORATORE

Nobili ac Excelente Domino

CAROLO PÖLLER, Austriaco Lincensi, Saluberrimæ
Medicinæ auditore.

ANNO M. DCC. XL.



VIENNÆ AUSTRIÆ.

Typis, Gregorii Kurzböck, Universitatis Typographi.

PANEGYRICUS

1817

COSME & DAMIANO

1817

CORAM AUSTRIACA AC CAESAREA

UNIVERSITATE VIENNENSIS

1817

IN PUBLICO STUDIO MEDICO

INSTITUTA FACULTAS MEDICA

DE VIENNA PRAESENTAT

DISSERTATIONEM

DE

PHLEBOTOMIA

IN

LABORIO

PHLEBOTOMIA

PHLEBOTOMIA

PHLEBOTOMIA

PHLEBOTOMIA

PHLEBOTOMIA

PHLEBOTOMIA

PHLEBOTOMIA

PHLEBOTOMIA

PHLEBOTOMIA

PHLEBOTOMIA

PHLEBOTOMIA

PHLEBOTOMIA

PHLEBOTOMIA

ORATIO.



INter varias virtutes, quibus ornare sacrorum Ecclesiæ Heroum sanctimoniam oratores solent, *Perillustris ac Magnifice Domine Universitatis* **RECTOR**, *Perillustris Spectabilis ac Excellentissime Domine* **DECANE**, *Facultas Medicorum Inclyta, Senatus Populeque Academice*, est illa cæteris insignior, quæ patres pauperum ostendit, in id unice intentos, ut variis afflictos calamitatibus erigant, erectos confirment. Hoc nempe Divinum munus vicariam in terris Dei benevolentiam præferret; & si quos ornat, Deo magis reddit similes, quam hominibus. Hac potissimum laude maximo **Artis Medicæ** beneficio excellere **COSMAS & DAMIANUS** tantæ sanctitatis heroes, quos merito sibi Arabia Filios, *Facultas vestra Principes, Orbis universus Thaumaturgos* gratuletur; qui etiam laudatissimam *Artem vestram splendore suo illustrem, affinitate nobilem, conjunctione sanctam, usu, amore, necessitudine gloriosam reddiderunt*; ut adeo jure optimo dici possit, *Divos COSMAM & DAMIANUM tantum Arti Medicæ addidisse ornamenti, quantum Ars Medica Divis COSMÆ & DAMIANO attulit felicitatis*; unde si Illi hujus præsidio Sancti, Hæc illorum meritis est gloriosa. Atque hoc profecto laudis argumentum in hac solempni pompa, gratique animi indicio ad ostendendam *Divorum COSMÆ & DAMIANI gloriam, animosque vestros solatiis re-*

recreandos opportunum existimo ; cum sanctum habere Principem artium nulla non gaudeat; Principum vero artem suæ gloriæ participem nemo non quærat. Adeste igitur animis AA. & tantum dicenti mihi benevolentia concedite, quantum Martyrum, & Vestrae gloriæ tribuendum putatis.

Duo sunt AA. in quibus universa Divorum COSMÆ & DAMIANI sanctimonia continentur ; generosus honorum & divitiarum contemptus, quo viri nobilitate conspicui, ad summa quæque nati factique omnia Christianæ pietatis ac demissionis officia, nulla unquam accepta mercede, pauperibus exhibuerunt ; & fortis in Deum amor, quo spretis Tyranni minis pariter, & illecebris dulce pro Christo pati existimarunt, & mori lucrum. His consequendis si aditum aperuit Medendi Facultas, fecit & Sanctos ita, ut eorum felicitatis non mediocriter esse participem, fateri, profiterique sit necesse. Et vero cum huic perdiscendæ sapienti Matris optimæ providentia nondum pueritiam egressi navarent operam, continuo calamitatum intuitu una didicerunt, variis e casibus pendere hominum fortunam singulorum, nec ullam firmam esse aut certam felicitatem, quam quæ Religione custoditur. Hinc vero tantum vanitatis odium, humanæque gloriæ contemptus tantus affurexit, ut dici vix possit, quo studio, qua mente, qua fide nihil operum suorum tribuerent sibi, laudem omnem & gloriam Deo redditam vellent. Hinc tantum pauperum calamitatibus occurrendi studium, ut ea, qua indigen-

tes caritate complectebantur omnium calamitates in suas converterent, nullum rati Divinius beneficentiæ genus, quam quod nulla spe redimendi in egenos impenditur. Hinc demum paterna sollicitudo, cui una dolorum materies aliorum calamitas, una gaudii, bene de omnibus promereri.

Atque hæc omnia tunc vel maxime innotuere, cum provocatâ sceleribus in pænas ira Divina Arabiam prope universam malorum maximo pestilentia digne mulctavit. Superi quæ rerum facies! mortui plerique Principum, Nobilium pars major, Plebis fere ætas omnis funera in dies funeribus cumulabantur, cumque curatio ipsa, & ægrorum tactus nimium quantum evulgarent morbos, qui in eos inciderant, aut amicorum, ipsorum adeo domesticorum ope destituti, neglecti, desertique moriebantur, aut affidentes curantesque eadem vi morbi repletos secum trahebant venenata morte preceptos. Augebant calamitatem quæ undique resonabant lamentabiles voces in auribus similem quoque sortem plorantium, quæque passim per vicus & compita sine ordine jacebant aperta cadavera in conspectu similem quoque mortem expectantium. Et paucis usque eo communis acerbitas assurrexerat, ut nemo, licet solatio non indigeret, solatium tamen quæreret nemo, quia reperire se posse jure optimo nemo crediderat.

In hoc igitur funesto mortis teatro victo ac penitus prostrato sui pariter & mundi amore, eo cæteris sanctitatis hostibus fortiore, quod in hominum animis nescio quid imperii blanditiæ præferant & illecebræ, se

B

se

se nobis spectandam exhibet Divorum COSMÆ & DAMIANI fortitudo, ut quantum mœroris habuit præteritæ calamitatis recordatio, tantum habeat & revocata eorum caritas oblectationis.

Quale spectaculum DEUM immortalem! videre viros nobiles immixtos pauperum turbæ, & occurfantis populi impetu huc illuc abreptos, vicos concurrere, lustrare plateas, nosocomia adire, per cadavera ad egentes adrepere, infectis corporibus manum admovere, allata secum medicamenta intimo cum sensu caritatis adhibere, venenata contrectare vulnera, lectos sternere, cibos porrigere, ea constantia & fortitudine quibus suam pauperibus caritatem quodammodo facerent vectigalem, tot certo maxima beneficia statis temporibus conferendo! Videre, qua solitudine pauperes, quorum numerus eorum intuitu illic se se multus effuderat excipiebant hospitio, convivio recreabant, lecto fovebant, & allocutione dulcissima, quos aliter non poterant sublevabant, ut adeo nemo sibi videretur miser, aut miseriæ suæ neminem pœniteret. Ipsa etiam exanimata cadavera eorum sensere commiserationem, quæ ut feris erriperent, concessis quieti horis pia inter suspiria, precesque sepeliebant. Atque his omnibus fortiter adeo suscipiendis constanterque perficiendis, quis obsecro AA. nisi ipsa Ars Medica aditum aperuit, quæ Magistros suos sic corporum periculis adesse jubet, ut animarum ruinæ æternum alias deplorandæ facilius occurrant, & qua se miseris caritate Patres, eadem & Apostolos exhibeant.

Mino.

Minora tamen hæc sunt, quam quæ manifesto demonstrent Divos COSMAM, & DAMIANUM ipsa mendendi arte summum sanctitatis apicem attigisse. Fecit Sanctos, faciat & Martyres est necesse. Nata nescio qua temporum calamitate in Arabia, atque innutrita superstitione fuerat, eo subinde audaciæ provectora, ut templa erigeret, arces communiret multorum Ecclesiæ Heroum conatus facile elusura. Quid ad hæc Heroes nostri? probe gnari nunquam aliquid in animos hominum induci facilius quam cum beneficiis devinciuntur, dum medebantur corpora, Religionis principiis animos imbuebant, & aliorum virtutem sua ipsi virtute provocabant. Atque utinam piis conatibus non restitisset cædis & sanguinis sitiens Lysia barbaries! vidisses Arabia, vidisses tandem æquata solo falsorum delubra Numinum, in frustra comminuta humi jacere Idola gentium, quodque antea in ludibrium erigebatur Crucis signum, trophæum gloriæ reputari. Sed terruit (cur negem AA. neque enim crescit mendacio virtus) terruit pietatem furor, timor fortitudinem oppressit, crudelitas Religionem retardavit, recessere abditam in specum invicti Christi pugiles, ut primum impius Lysias Idolorum reparaturus ruinam militarem cohortem festinato ablegavit, eos, sicubi delitescerent, exploraturam. Nolim hic vero AA. eorum amorem quis aliter oppressum lugeat, quam ut modico temporis intervallo concitior inde, habens quasi remissis, & fortior erumpat; eo fere pacto quo diu pressus asseribus amnis ruptis jam repagulis ingenti un-

darum illuvie superfluis adverſa quæque rapit, ac frangit
alteque ſuper ruinas evectus earum quaſi in ludibrium vi-
ctor aſſurgit. Enim vero Lyſiæ in conſpectum adducti
quis neſciat qua fronte ſclerata ejus imperia execrati, ille-
cebras contempſerint, minis illuſerint, & fortes conſtan-
tesque virgas ſuſtinuerint, & nervos. Qua in re illud
equidem exiſtimo admiratione veſtra digniſſimum, AA.
quod anguſtum mox in carcerem occluſi Angelorum Mini-
ſterio ſe ſe non modo priſtinæ incolūmitati reſtitui, ſed tan-
tum quoque ſibi roboris addi ſenſerint, ut poſtridie novum,
illudque accerbius in certamen vocati fortes lætique acceſſe-
rint de victoria, quam de prælio certiores. Et ſane cum
interroganti Lyſiæ, quonam id factum veneficio? impavidi
Divino acceptum munere profiterentur, in furias actus ju-
bet eos membrorum contorſione dire excruciarī, & prelo
tam atroci manus eorum comprimi, ut quot digiti, tot
veluti proſilientis ſanguinis fontes numerarentur: Neque
his contentus excelsa trabe ſuſpendit, & ferreis unguibus eo-
rum latera ſic dilaniat, ut terra projectis hinc inde carnibus,
& effuſo ſanguine ruberetur. Plura eaque graviora Mar-
tyribus ſuſtinenda languor in milites Divinitus immiſſus
retardavit; retardavit dico, non prohibuit; mox enim fu-
rentis Tyranni jūſſu molaribus laxis collo illigatis ſtadiis
circiter quinquaginta e littore abducuntur in mare demer-
gendi; & omnino periſſent, niſi ſaxa ipſa prægrandia ſui obli-
ta ponderis medias per undas incolumes reddiſſent. Hic
igitur cede Lyſia, Divini Numinis cede imperio: decet vi-
vere,

vere, quos fustes, cruces, mare ipsum nequit occidere. Verum nescit modum crudelitas superbiæ stimulis agitata, furit magis, in DEUM quoque impie ausa proloqui, cuius illi potentia hæc facta protestabantur. Furat tantum; cedit tamen sceleratus furor ei, quæ semper reos sequitur a tergo pænæ. Momento mente excidit, & insanix morbo prehensus a se ipso quasi, omnique prorsus sensu & ratione alienatus est. Gratulare Inclyta Facultas Medica, gratulare Præsidibus tuis: en jacet hostis, & ita jacet, ut idem sceleris, & proprii funeris sit author. Sed quæ hæc nova caritatis portenta! Miserti Martyres hostis casum, fufis ad DEUM precibus sibi reddere & rationi contendunt. Quæso sistite Inuicti Pugiles, augetur beneficiis crudelitas, quæ recta prava facit & pie, sancteque gesta timori tribuit novis cruciatibus remuneranda. Nec profecto mea me fecellit opinio AA.; pristinx restitutus sanitati Lysias, caminum accendi imperat, fornaci Caldaicæ persimilem & in ejus intima Heroes projici, ut rogo extinguerentur, quos fluctibus mergere non potuerat. Quo in tormenti genere renovatum fortasse Babylonicum prodigium, nostris in Martyribus existimabitis? Expectate portentum quam vultis maximum, vincet expectationem eventus. Veritæ flammæ Sancta violare corpora, in tortores ipsos se se convertunt, quos dum misere depascuntur, terra in gremium suum Martyres recipit, & iis subsidentibus rursus incolumes in apertum producit. Quod prodigium illud fuit AA. cujus intuitu Græcorum pars maxima ejurato falsorum Numinum cultu pusill-

Q lo

lo Christianorum gregi palam accessit; tanto impii Præfidi furore, ut cum & lapidibus demum, & sagittis non dissimili eventu frustra illos e medio tollere laborasset; fatigatus tandem, excogitandis, inferendisque pænis, capitis, impatiens moræ, damnavit. Vicisti Lyfia, vicisti, plaude tibi (si tamen in impietate & scelere plausus aliquis inesse potest) occubere Martyres, vel eo feliciores, quod Arti cui cæteri vitam, mortem sibi comparatam deberent. Tu vero Inclyta Facultas Medica metire jam tuæ gloriæ magnitudinem : Si enim Divi COSMAS & DAMIANUS Artis Medicæ præsidio Sancti, Ars Medica Divorum COSMÆ & DAMIANI meritis sit gloriosa est necesse.

Et sane quid habent gloriosius artes, quam ut publico commodo præstent plurimum, suoque usu ad eam, quæ vera est, gloriam securos adducant. Hæc dum faciunt jure sibi multorum animos conciliant, studia excitant, & conatus facile omnes consequuntur. Quod ut est in universum gloriosum, tunc tamen gloriosissimum, cum id in maximis Reipublicæ calamitatibus & possint præstare & noverint, Jam vero cui primum nisi Divis nostris Martyribus tribuendum putatis AA. quod hæc duo præ cæteris Artis Medicæ propria ignoret nemo, nemo contendat? Quorum exemplo factum, quod ex iis ipsis, quos hic coram intuemini Artis Medicæ Doctores, pestilentiæ vi maxime sæviente nulla habita fortunarum omnium, & vitæ ratione, pro Reipublicæ & Religionis incolumitate magna egerint, & multa fortiter toleraverint, ea alacritate, quæ hoc artis suæ
munus

munus ostenderet, & artem ipsam sincero miserorum sus-
fragio admodum extolleret. Equidem sic sentio AA.
magno cuique & sapienti viro ex ipsa sui Præsidis, & la-
borum ab eo pro publica felicitate susceptorum memoria,
jucundissimam quamdam promanere voluptatem, quæ ad
novos suscipiendos labores alacrem semper, atque in iis per-
ferendis lætum, ac beatum facit. Siquidem vita Principis
censura est, eaque perpetua. Ad hanc dirigimur, ad hanc
convertimur, ut prope unius moribus omnes vivamus. Fi-
denter igitur & illud affirmo AA: Artes omnes nihil habere
gloriosius iis Principibus, qui singulari peritiæ parem con-
junxerunt sanctitatem, & rerum optime gestarum multi-
tudine nobilitarunt. Florent nempe horum præsidio, & si
quid inter tot temporum calamitates pristinæ amittere sedu-
litas otio indecoro sepultæ, ipsorum providentia exci-
tantur, & nova quadam alacritate resurgunt. Hinc Ro-
mani, ut in profana vetustate sapientissimi, tum demum
existimabant artibus suis adjungenda populorum stu-
dia, & excitandam multitudinis venerationem, cum illis
Numen aliquod adsciscerent, & exorta Divinitus miracula
quædam, & oblata de cælo prodigia mentirentur, quibus
suos illis Præsides favere, & patrocinari viderentur. Quod
cum ita, an inde etiam major gloria tua dici potest, aut fin-
gi Inclyta Facultas Medica? quam illi artibus suis gloriam
tam ambitiose moliti sunt exquisitis mendaciis, affingere,
hanc tibi hodie tuorum Principum meritis orbis univer-
sus gratulatur, agnoscitque Divos COSMAM & DAMIA-

NUM singulari sanctitate, & rara ejus, quam profitebantur artis peritia, tantum tibi addidisse ornamenti, quantum ipsa felicitatis attulit.

Et singularem quidem eorum Sanctitatem fuisse, ut penitus cognoscatis AA. revocate tantisper in animos vestros Divinæ Veritatis pronuntiatum, quo nempe DEI Filius, ut amoris suo, quem in hominum genus summum esse voluit, certos quosdam limites statueret, intra quos se se benefaciendo contineret, altissimum Caritatis apicem in eo situm esse docuit, si quis animam suam, qua nihil potest haberi pretiosius, pro amicis suis in discrimen objecisset; tum mihi aperte dicite an non Divos Martyres nostros singulari sanctitate ad hoc supremum caritatis culmen ascendisse existimetis? qui repetitis in diem vicibus tot se periculis exponebant eorum gratia, qui natura, moribus, Religione ipsa vel maxime adversabantur, quosque suscepta interdum beneficia, non gratos faventesque, sed sceleratos potius reddebant & impios. Profecto si latentes cogitationes vestras recte assequor, plus aliquid opinione mea in Divorum Martyrum laudem statuendum putatis; quippe DEO similes paucissimis contenti facillime vivebant, paucissimis indigebant, ut omnia indigentibus darent, Quod si eorum sanctitas singularis fuit, raram quoque eorum Artis Medicæ fuisse peritiam est necesse, ut in ambiguo sit: num fecerit Sapientia, an Sanctimonia majores. Et vero quis unquam fuit tam atrox morbus, aut pestis tam vehemens, quæ illorum ope, & salutaribus pharmacis

NUM
s o
pro-

profligata non fuerit, tanto citius quod non herbis modo, aut medicamentis nescio quibus, sed precibus etiam uterentur. Audenter dico AA. si quoties admirabiliter, præterque consuetudinem ægris reddidere sanitatem, percensere vellem, miraculorum segetem immensam aggrederer novo miraculo prædicare, in qua semper occurreret aliud, quod superioris laudes certo quodam modo iminuere, & obscurare videretur. Illud igitur perpendamus quod Medicinæ gloriam ex Principum suorum meritis redundantem demonstrat cæterarum artium esse majorem. Habent artes cæteræ suos Principes, qui cum versarentur in terris quotidiana eis studia, & conatus omnes consecrarunt, nunc vero mortui, ac inter Cælites relati eas quidem protegunt, non profitentur, vel ex hac ipsa sua quiete felices. Non ita Præsides tui Inclyta Facultas Medica: Quam mortales professi sunt artem, hanc & in præsens æternum, licet Beati, usu longe meliori exercent, exercendo colunt, colendo glorificant, ea universi terrarum orbis admiratione, quæ post tot retro sæcula durat etiamnum, æternitatisque servatur. Atque utinam me hic AA. rerum copia & amplitudo non obrueret, fatisque mihi ad dicendum suppeteret vel facultatis vel temporis! quam dulce vobis præberem Spectaculum, cum longo agmine producerem mutos, quibus illi linguam solverunt, cæcos, quibus lumen reddiderunt, & ut paucis multa complectar, omni morborum genere, & vel ipsa paralyfi laborantes, quos pristina restituerunt sanitati longum perennaturæ. Sed quoniam horum ea

D

vel

vel magnitudo est, vel multitudo, ut a me non exornatio modo, sed ne commemoratio quidem quæri, aut expectari possit, id in universum dixisse sufficiat: Artem Medicam tot ac tanta suæ gloriæ habere argumenta, quot, ac quanta ejus Principes e Cælo patravere prodigia; hæc siquidem probant Artem esse non hominibus modo, sed Cælo ipso & DEO dignissimam. Agnosce igitur sortem tuam Incluta Facultas Medica, applaude tibi, & quod gemini Præsides tui COSMAS, & DAMIANUS Artis Medicæ præsidio Sancti, & quod Ars Medica Divorum COSMÆ & DAMIANI meritis sit gloriosa. Illi ab Arte Medica Sancti, quorum in animos generosum honorum, & divitiarum contemptum, & sortem ad necem usque DEI amorem, sanctitatis fontes, induxit, Hæc ab illis gloriosa, qui Republicæ utilem, Sanctitatis sociam, & cælo ipso DEOque dignam manifesto demonstrarunt.

DIXI.

